

Eilhard Lubin Johann Busch

Disputationum De Veritate Religionis Christianae, Ex P. Mornaei, De Eadem Libro : Quarta De Trinitate in Una Dei Essentia

Rostochii: Myliander, 1601

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756641594>

Druck Freier  Zugang



R. U. theol.
Lubinus, Eilh.
d'iss. de veritate relig.
christianae 1-24.
1602:03.
1601-1602

Contenta :

- ① Frid. Cressius, De veritate religionis christianae I 1601
- ② Das. Rezzius, De ver. rel. chr. II 1601
- ③ Hart. Kallerwordatus, De ver. rel. chr. III 1601
- ④ Joh. Buxlinus, De ver. rel. chr. IV 1601
- ⑤ Abr. Drentrot, De ver. rel. chr. V 1601
- ⑥ Joh. Frisius, De ver. rel. chr. VI 1601
- ⑦ Pet. Boethius, De ver. rel. chr. VII 1601
- ⑧ Boc. Hagius, De ver. rel. chr. VIII 1601
- ⑨ Dan. Nicolai, De ver. rel. chr. IX 1601
- ⑩ Joh. Wataham, De ver. rel. chr. X 1602
- ⑪ Joen Vintor, De ver. rel. chr. XI 1602
- ⑫ Werner. Fabricius, De ver. rel. chr. XII 1602
- ⑬ Paul. Fickius, De ver. rel. chr. XIII 1602
- ⑭ Frid. Cressius, De ver. rel. chr. XIV 1602
- ⑮ Das. Rezzius, De ver. rel. chr. XV 1602
- ⑯ Hart. Kallerwordatus, De ver. rel. chr. XVI 1602
- ⑰ Joh. Buxlinus, De ver. rel. chr. XVII 1602
- ⑱ Werner. Fabricius, De ver. rel. chr. XVIII 1602
- ⑲ Joh. Frisius, De ver. rel. chr. XIX 1602
- ⑳ Pet. Boethius, De ver. rel. chr. XX 1602
- ㉑ Dan. Nicolai, De ver. rel. chr. XXI 1602
- ㉒ Joh. Wataham, De ver. rel. chr. XXII 1602
- ㉓ Joen Vintor, De ver. rel. chr. XXIII 1602
- ㉔ Paul. Fickius, De ver. rel. chr. XXIV 1602

4.

DISPUTATIONVM
DE VERITATE
RELIGIONIS

CHRISTIANÆ,
EX P. MORNÆI, DE
EADEM LIBRO.

Quarta
DE TRINITATE IN VNA
DEI ESSENTIA.

Quam

DEO DVCE ET AVSPICE,

PRÆSIDE

EILHARDO LVBINO,

*In almâ Rosarum Academiâ de-
fendere conabitur*

IOHANNES BVSCHIVS

Vildungenfis.

Hora & loco consueto.



ROSTOCHII,
Excudebat Stephanus Myliander,
ANNO M D CI,


DISPUTATIONVM
DE VERITATE
RELIGIONIS

BY A. MORAVIA DE
EADDEM VITAE

DE TRINITATE IN VNA
DEI PESSNITIA

ED. D. V. E. A. T. I. O. N. I. S.
T. R. I. T. I. C. I. S.
E. I. L. H. A. R. D. O. E. V. I. N. O.


JOHANNES EVSCHINER
VITAE



ROSTOCK
ANNO MDCCLXXII

ΣΥΝΘΕΩ.
DISPUTATIO QUARTA.
DE TRINITATE IN VNA
DEI ESSENTIA.

I.



Hucusq; rationis luce demonstratum est, & ESSE,
& unum esse, & unum solum Ens esse DEVM;
Consequitur ut illum in personis trinum esse de-
monstremus.

1. Quod Mysterium à Deo nobis revelatum,
non autem ratione detectum, fide apprehendi-
mus, & ratione amplectimur & probamus; Ejus
à posteriori & in humana mente perspicuas rationes, & in rebus
mundanis evidentiâ vestigia observantes.

2. Credimus autem à Deo edocti, & scimus æternam essenti-
am & potentiam Patris ab æterno genuisse filium coæternum &
coessentialem sapientiam, verbum & imaginem suam, & ex u-
troq; Spiritum sanctum & amorem, ab æterno procedere, utriq;
coessentialem & æternum. Hoc est, Deum in personis trinum, in
essentiâ unum esse.

3. Principio Deum summam essentiam & potentiam & virtu-
tem activam esse (quæ patri respondet) quâ omnia fecit, omnia
opera Dei indicant.

4. Deinde in Deo summum intellectum esse demonstrat, tum
quod ars & ordo rerum omnium sit singularis; tum, quod omnia,
etiam quæ intellectu carent, ad finem certum tendunt, tum, quod
in mundo intellectu carentia intelligentibus serviant, quæ utraq;
necessario fecit summus Dei intellectus, quo omnia sapientissime
operatur, cuiusq; radij ad extra in creaturas egrediuntur, fons ve-
ro in Deo æternum manet. Qui intellectus, æternus, infinitus,
DEIq; essentia est.

5. Deus ergo cum sit intellectus, & ab æterno merus Actus,
cum se unum ab æterno Intellectus objectum habeat, ejus actu
A 2 seipsum

seipsum ab aeterno intelligit & concipit, eoq; intellectu & conceptione gignit absolutissimam sui imaginem filium suum.

7. Hic filius patri coaeternus, Intellectus n. ille, quo genitus est, ab aeterno in Deo patre in actu fuit. Coequalis, quia illum in seipso concipit & gignit, qui est simplicissimus. Una cum patre essentia, qui pater hoc aeterno Intellectu activo seipsum intelligit, & à se intelligitur ut filius, quatenus per sui ipsius cognitionem concipitur & gignitur.

8. Filius vocatur, quia est absoluta patris imago, conceptio & generatio ex illo intellectu perfecta, qui in Deo manet.

9. Huius imago est in omni vivente, quod prolem ex se generat, quo nobilius, hoc sibi magis unitam, intimam & aequalem. Sic ignis ignem, planta plantam extra se, animal & homo factum gignunt ex semine ab extra, intra se: Sensus imaginationem magis internam, quamvis & ipsam ab extra à sensibilibus perfectam. Intellectus gignit animi conceptiones magis adhuc internas, & illas tamen ab imaginatione, quae à sensibus, & externis perfectas.

10. Solus Deus conceptiones in se à se habet, & retinet, un^o & solo omnia, cum nihil extra se habeat; & ob id in & à se generat hoc suo intellectu filium coaeternum, coequalem & coessentialem.

11. Dicitur etiam *sermo* & recte sive sermonem sive rationem interpreteris. Ut enim & in homine ratiocinatio est Mentis conceptus & quasi filia, quam & internum mentalem sermonem (cuius imago est sermo externus) vocamus. Sic quod divinus Intellectus ab aeterno de se concepit, in Deo sermonem & verbum dicimus, quod intellectus perfectissima imago.

12. Hoc verbo omnia creata esse asserimus. Ut n. faber opus facit iuxta internam mentis Ideam, quae sermo est mentis: Sic Deus hoc suae mentis verbo, imagine & Ideà omnium rerum essentias & Ideas formavit.

13. Dicitur deniq; etiam Sapientia. Ut n. illa in homine maxima est sui cognitio: Sic illo sui intellectu gignit absolutissimam sui imaginem & similitudinem sui scilicet cognitionem & Sapientiam.

14. Non autem solus intellectus est in Deo, cuius actu secundam personam gignit. Verum praeterea etiam inest voluntas, cuius actu procedit ab utraq; tertia.

15. Cum enim binariis creatis indiderit Deus voluntatem aut saltem eius speciem aliquam, ut in Elementis, stirpibus, animali-

bus, hominibus, deprehendim⁹, & angelis ipsis, qui per suam voluntatem Dei, summi Boni cogniti æternâ voluptate & gaudio perfriuntur. Quâ sane voluptate omnibus communicata, ut re bonâ ille qui optimus est solus carere non potest.

16. Cum etiam omnia fecerit, voluntate non caruit, quæ ad agendum omnes impellit facultates. Et quâ, ut intellectu sapienter, sic liberrime virtutem potentiæ suæ exferit, cuius, ut dictum, radij in creata sparguntur, fons in creatore manet.

17. Hæc voluntas in Deo cum intellectu una in Deo essentia est, ratione solummodo distincta, qua voluntate Deus ab æterno, se ipsum actu intellectus cognitum, diligit, quo actu Tertia persona procedit Spiritus Sanctus, & amor patris filium intelligentis, & filij à patre intellecti.

18. Hic Spiritus, amorq; æternus est, quia factus voluntatis est æternus. Patri & filio coequalis, quia actus voluntatis tam late patet, quàm actus intellectus: cumq; Deus simplex sit, voluntas & qui procedit per voluntatis actum eadem cum Deo est essentia, cumq; ex mutua cognitione cognoscentis patris & filij cogniti amor emanet, hanc tertiam personam à patre & filio procedere, & filium ante Spiritum, patrem ante utrunq; ordine, relatione & ratione, non autem re ipsâ, credimus.

19. Spiritum dicimus, eo quod Spirituum (ut in vento & articularum pulsa videmus) occultum sit principium, & quod motus voluntarius per Spiritum procedat & incitetur, cuius voluntatis ceu latens pulsus est dilectio. Dilectionem & amorem, quia voluntatis actus ad amorem tendit.

20. Ut ergo per æternum intellectus actum de Deo patre, filius Deus ab æterno genitus. Sic per coniunctos intellectus & voluntatis actus (quo pater per intellectus actum intelligit filium, filij intellectus actu intelligitur à patre, ab utroq; per mutuam cognitionem & voluntatis actum procedit Amor) Spiritus sanctus ab utroq; procedit.

21. Cum autem Intellectus & Voluntatis actus in Deo sint proprij, in Deo sint ab æterno, in Deo ab æterno insint & immanent, nec alij actus, ab his diversi in Deo ab æterno sint & manent, nec aliæ pluresve à diuersis his actibus proficisci possunt personæ, unde quartæ hypostasi locus non datur, quam in Deo manere & esse, & Deo coessentialem esse oportet.

22. Di-

22. Dicamus enim Deum creatorem, salvatorem, sanctificatorem. Verum hi actus à Deo quidem sunt, at non in Deo manent, sed tanquam radii à Deo creatore filio & S. sancto, in exteriora in creaturam vel creandam, vel salvandam, vel sanctificandam transfunt, quæ Deo coæterna & coessentialis esse nequit.

23. Actus enim in Deo cum intrinsecus agunt, quidquid ab illis vel gignitur vel procedit, in Deo operante manet, estq; Deus de Deo, ejusdem cum Deo essentiæ: Cum verò extrinsecus agunt, in creaturas tendunt, quæ diversa à Deo essentiæ, infinito intervallo à virtute Dei remota sunt.

24. Quid? Quod intellectus & voluntatis actus in Deo sint coessentialiales, à quibus opera omnia tum non æterna ad extra proficiscuntur, tum etiam æterna & coessentialia ad intra, à quibus plures, quam duæ hypostases coessentialiales manare non possunt.

25. Porro omnia creata ut trium personarum opera sunt, ita earundem vestigia signa & characteres, quo nobiliora, hoc manifestiores sibi impressos habent.

26. In omnibus deprehendimus unitatem, per quam sunt quatenus sunt. Videmus & formam characterem illius primæ Ideæ, imaginis æterni patris, quæ pater omnia creavit, & suam quodq; formam donavit. Videmus & inclinationes & nutus voluntatis species, quibus & vel sursum vel deorsum feruntur, & sibiipsis arctissime adherent.

27. Deinde Sol gignit radios, ex ambobus procedit lumen, quæ tria similia sunt. Relatione tantum & ordine distinguuntur. Sic scaturigo gignit laticem, ab utroq; emanat fluvius. In quibus nihil prius aut posterius tempore, sed ratione tantum & ordine. Sic etiam ignis ignem gignit, ex utroq; procedit lumen & calor.

28. In herbis radix caulem generat, quæ humore tanquam vinculo coalescunt. In animalibus quodq; sibi simile gignit, & ex mutua matris & fetus cognitione mutua procedit caritas, quæ sibi adherescunt.

29. In hominis animam, primo vis & natura activa inest, & quasi merus actus quo vivit, & continuo agit, Mens scilicet, quæ patri responderet. Gignit hæc intellectum & rationem, quæ & singula & nos ipsos utcumq; cognoscimus. Ex qua cognitione procedit voluntas, quæ & nos, & quæcumq; alia, nostra causa amamus.

30. Hæ autem tres facultates revera in nobis distinctæ sunt. Operamur n. semper quamvis non semper intellectu & voluntate, & volumus interdum non intellecta, & quæ intelligimus interdum nolumus: Licet autem distinctæ sint, sunt tamen una anima & vita in unam essentiam junctæ, & simul uno momento agendo concurrunt.

31. Interim tamen vestigia hæc, hæc imago à Trinitate ipsâ longissime abest. Hæ n. facultates licet in una animâ, diversæ reipsa & distinctæ sunt; quæ in Deo sunt unum, & idem in essentiâ. Deinde actus intellectus & voluntatis in Deo manent, & sic hypostasies inde gignuntur & procedunt; In animâ verò extrinsecus procedunt, etiam cum anima seipsam cognoscere & diligere nititur, quod sine ope externorum sensibilibum, quæ animo de se concipiat, nequit.

32. Quin & anima quo magis se cognoscit & amat, hoc magis Deum, & cognoscit & amat, seq; & omnia mundana odio habet & contemnit.

33. Spinofes & profanas curiosorum & suspicacium quæstiones in hoc mysterio rejicitimus & contemnimus, qui cum in quotidianis & obvijs cæci sumus, nihil mirum si arcanorum Dei mysteriorum rationes reddere non possimus.


34. Hanc admirandam de Trinitate doctrinam cœlitus patefactam Philosophi, Ethnici adprobarunt, & quo antiquiores, hoc magis amplexi sunt. Inter quos præcipui Zoroastres, & ab eo Magi in Chaldaëa, post illos Mercurius Ter maximus in Ægypto, post hunc Orpheus in Græciâ, & huius posterii Pythagoras, Parmenides, Zenon, Socrates, Plato, Aristoteles ipse: Acceperunt autem eam initio ex Ægypto, quæ illam ab Hebræis & patribus.

35. Iudæis autem hanc doctrinam & notissimam & probatissimam ante adventum Christi fuisse ex pluribus veteris Testamenti locis, & ex Rabbiorum authenticis libris, qui ante Christi adventum scripti multis testimonijs indubitatum est.

36. Nato autem Christo à Philosophis etiam Christianorum hostibus hæc doctrina probata & defensa fuit, ut à Numenio Plotino, qui ferè in hoc mysterio explicando totus est, Iamblichus, Porphyrius, Amelius, Theodorus, Chalcidius, Macrobius, Sene, ca, Auicen-

ca, Avicenna. Quod pluribus & imò innumeris illorum citatis testimonijs probari potest.

37. Quin ipsi etiam veritatis hostes diaboli oraculis suis hanc veritatem confirmare coacti sunt, Deumq; unum & trinum confiteri, cui laus & gloria æterna. Amen.




Coronidis loco examinanda.

- I. *Ars & finis rerum nullus sine intellectu.*
2. *Nulla creatura sibi finem potest statuere.*
3. *Nihil se potest cognoscere, solo Deo excepto.*
4. *Dei esse, Intelligere, Possesse, Velle ab æterno unum est.*
5. *Quidquid in Deo consideramus, de simplicissima Dei est essentia.*
6. *Omnium rerum sunt Idea.*
7. *Imago Dei filius Dei prima Idea, omnium Idearum fons.*
8. *Idearum consideratione Providentia Dei cognoscitur.*
9. *Mentis conceptus internus sermo est.*
10. *Quidquid factum est per Intellectum & voluntatem est factum.*
11. *Voluntas, vel voluntatis saltem species est in omnibus.*
12. *Cur Deum ternario coluerint.*
13. *Cur Dei nomen Tetragrammaton.*
14. *Numerus neq; actu, neq; potentia infinitus fieri potest.*







the scale towards document

ortis fuisse, non, ne crimen detegant, sed ne vir-
ant, ne ipsi quidem hostes Christianorum nē-

tionem illam repentinam, quā Deorum cultus
nt, ad constellationem referunt, quā mundum
z pro diversis cæli imaginibus singulos Plane-
ominari supponunt, quæ vesanorum hominum
Syro satis refutata sit, seq; ipsam explodat re-

climatibus tot regiones, urbes, oppida, familiæ,
imis sæpe religionibus inbuti, quā insaniam suam
Cumq; Planeta climatis religionis Judaicæ
ligio in totum orbem disseminata est, proprio

as Planetarum conjunctiones Religiones facere
i conjunctiones tantum, alij Iovem tantum, alij Io-
♁ Chaldaicam, cum ♀ Aegyptiam, cum ♁ Mahu-
a, cum ♃ Antichristianam, Addunt a. magnas medias
interq; se de religionis domo variè contendunt (quæ
ex fo) prius inter se insulsi & insani conveniant, an-
postulent.

es à conjunctione Stellarum dependent, cur cum illis
io Christiana tantæ sit durationis, tamq; latè pateat,
nativitatis tempore talem conjunctionem. quod nex
Astrologorum somnio sex esse possint Religiones
m in una familiâ.

nde Religionis Thema erigere debeant à fine eius
ius, quæ oritur aut deniq; legislatoris ipsius Iesu ge-
ptias suas Christianis intolerabiles satis impie pio-

s hominis Genesi Religio, hoc est tot naturæ, regio-
j, Dæmones, affectus animi & mentis, cum vel ipso-
on cogant, cum etiam in singulis regionibus aliquis
t.

contemplationum vanitatem eventus ipse manife-
stianam 360. annos duraturam dixerunt, quam Al-
xtendebat, Abraham Iudæus ad 1464, &, suo more

isti per Magiam facta esse contendunt exemplo Si-
nyanæi, Appulei Madaurenfis. Cum Simon vel eo-
is sit, Iesu divinitati concesserit. Et cuius Diabolica
rejecta & cum ipso extincta est.

Apol-